

911

saltem resurrectionis Evangelium manifestarit, annunciarit & prædicaverit, & hac ratione nos in *Mnemosophia paschalis* per sapientiam suam informarit, sed etiam quod *primarius* sit *autor*, quod instar sapientiæ cælestis *Mnemosophian* hanc *paschalem* primus invenerit, ab æterno quoque nobis patefacere constituerit: & quod *primarius* etiam sit *Mediator*, vel etiam *conci-liator Mnemosophias* paschalis, adeoque non tantum verbo suo, vel doctrina paschali nos informarit, sed etiam merito suo paschalem hanc *Mnemosophian* nobis compararit, quod contra *Socinianos* annotandum, qui Christum saltem verbalem *Evangelistam* mysteriorum paschalium, & nostræ *Mnemosophias*, non autem realem *Evergetam*, vel etiam merito suo *causalem* *Μερίτην* esse contendunt.

13. Denique *Spiritui Sancto* quoque *causalitas* principa-
lis circa *Mnemosophian Paschalem* competit. Nam hic est *Spi-ritus fortitudinis* *Esa. XI. 2.* qui nos confortat in Christo, sicut h. l. *Paulus* v. 1. talem *confortationem* in *Timotheo*, vel quovis *Mnemosophias Paschalis* studioso requirit: hic est *Dominus Ministerii*, quod est *διακονία τῆς ἀρεῆς* & *II. Cor. III. 8.* respectu cuius *Paulus* v. 2. præcipit, ut *mysteria cuncta*, *resurrectionis* quoque, quæ *Timotheus* cum aliis *Ministris* ab eo audi-
verat, fidelibus hominibus commendentur ita quidem, ut alios quoque docere possint: Hic est *Spiritus intelligentie* *Esa. XI. 2.* qui dat intellectum in omnibus h. l. v. 7. Hic est *Dominus omnium donorum* atque *mysteriorum* *Spiritualium*, sine quo nemo potest *Jesum Dominum* dicere *I. Cor. XII. 3.* qui *cuncta operatur in omnibus* v. 6. siquidem alii datur *sermo sapientiæ*, alii datur *sermo scientiæ secundum eundem Spiritum*, alii *fides in eodem spi-ritu* &c: & sic etiam ab eodem *Spiritu* nobis *Christianis Mnemosophia Paschalis* donatur.

14. A *causa principali* digredimur ad *causam Minus* *princi-palem Mnemosophias Paschalis*. Hæc alia dicitur ex parte *Dei*, alia ex parte *nostræ*. Ex parte *Dei* dicitur *instrumentalis Causa Verbum DEI*, qua ratione *Paulus* non in omnibus modo versiculis *verbum DEI* supponit, & implicite, ceu *Mnemosophias Pascha-lis me-*